

τύρανε. Sed quod scribit vir doctissimus, non satis aptum videri huic loco τὸ τύρανε id vero est, quod sane miror. Cum enim, et βασιλεύς, et τύραννος, sint ἰσοδύναμα, et eiusdem significationis, ut cuius vel ex solo Xenophontis Hierone notum est: cur, quaeso, non liceat vocare Raphaëlem illum Vrbinatem, vel Michaëlem Angelum, τυράννης τῆς τέχνης? Hoc profecto constat, Proaeresium, cuius apud Eunapium vita est, olim ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΑ λόγων *Regem eloquentiae*, et alium quemdam, de quo Philostratus ἐν βίοις τῶν σοφιστῶν, vocatum fuisse βασιλέα λόγων. Itaque, ni multum animi fallor, pictor in arte egregius vocari poterit τῆς ζωγραφικῆς τύραννος. Ita etiam Iupiter τύραννος τῶν θεῶν apud Aristophanem: qui scriptor quid γοργόν esset, et grande, quid in lusu molle, in seriis graue etc., vidit, aut nullus vidit.

Ibid. v. 7. μελαίναις] Hoc amabant scilicet Graeci veteres, et qui inter Italos olim ad Venerem sapiebant; neque, ut aiunt, iniuria. Ista enim, seu flavae, seu rufulae, quales nonnulli delicias habent, dilutioris esse corporis videntur, quam ut satis in palæstra firmæ esse queant, et respondere ὑβρίσσειν ἔρασαις. Hoc certe audisse e quibusdam videor, qui ad has res non plane inepti esse, aut auerso genio nati, dicebantur. Horatius, l. odar. 32, 11. f., *Et Lycium nigris oculis, nigroque Crine, decorum:* et ad Pisones, v. 37., *Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.* Theocritus autem Idyllio 3. v. 18. f.; — — ὦ κύννοφεν Νύμφα, πρόσπτυξάί με κ. τ. λ. Et Catullus, carm. 43, 1. f., pater ille elegantiarum, ut eam puellam significet, quae insulsa sit, et inuenusta, hoc satis habet dicere, *nigros eius oculos non esse: Salve, nec minimo puella naso;* (nam praegrandem nasum in puellis nemo amauerit, nisi qui physiognomoniam ignoret, neque adeo hodie faciunt, nisi qui ad ἔρωτικά infeliciter nati sunt); *Nec bello pede, nec nigris ocellis.* Itaque, et *nigri oculi*, et *nigri capilli*, inter *formae munera* olim habebantur.

Ibid. v. 8. Ὁ δὲ κηρὸς ἀνδύνηται] Nam et tabulae pictae olim ex cera fiebant, res nota est, et viri docti, qui de

pictura